

213.



Disputatio XIV.

DE OMNI HOMICIDIO, ET
dolofo incendio.

Q V A M,

D. T. E. U. F.

P R A E S I D E,

C L A R I S S I M O,

E T C O N S V L T I S S I M O V I R O,

D N. H E N R I C O B O C E R O, V. I. D.

*eminentissimo, & in illustri Academia Tubingensi Professore
celeberrimo, Domino Praeceptore suo
honorando.*ORDINARIJ EXERCITII GRATIA,
tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate de-
fendere conabiturL V D O V I C V S V A L E N T I N V S
à Milen.T V B I N G A,
Typis Georgij Gruppenbachij,

M. D. XCVIII.

Rr

Bibliotheca XIV.

ET OMNIBUS HONORIBUS ET

REVERENTIA ET

OBEDIENTIA

ET

GLORIFICATIONE

ET

REVERENTIA

ET

ORDINARI EXERCITII GRATIA

REVERENTIA

AD



ET

REVERENTIA

ET



Disputatio X I V.

DE OMNI HOMICIDIO, ET DO-
loso incendio.

T H E S I S I.



VNC de homicidio & doloso incendio videbimus. Homicidium in genere, est hominis cædes. (a) Idq; criminofum est, Ein fürferlicher mutwilliger Todschlag; vel crimine caret. (b)

a) *Vt arguit vis nominis. Sic testamentum est testatio mentis §. 1. Inst. de testament. ord.* (b) *l. 4. l. scientiam 45. §. qui cum aliter ff. ad l. Aquil. l. 1. §. pen. l. infans 12. ff. ad l. Cornel. de siccar. l. 1. & ll. seqq. C. eod. t.*

I I.

Criminosum homicidium, est publicum crimen, (a) quo quis doloso occidendi animo (b) hominem necat.

a) *l. 1. ff. de publ. iudic. & §. item lex Cornelia de sicarijs. iunct. Rub. Inst. de publ. iudic.* (b) *l. 1. §. diuus & l. in lege. 7. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 1. C. eod. t. Andr. Gail. libr. 2. obseru. pract. obs. 110. n. 1. & 2.*

I I I.

Indubitatè autem doloso occidendi animo necare dicitur, qui gladium stringit, & eo hominem percutit; non etiam qui clauis percutit, aut cucumâ in rixa.

d. l. 1. §. diuus vers. indubitatè ff. h. t. Didac. Couar. ad Clement. si furiosus. tit. de Homicid. in princ. Relect. 2. n. 2. vers. Quartò.

I V.

Quæritur de eo, qui lapide, fuste, vel cultello, percussit hominem, an animo occidendi percussisse videatur? Et hoc iudicis arbitrio relinquendum putamus.

Mench. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. casu 361. Iosephus Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 97. n. 20. Ioh. Gædd. ad l. armorum 41. num. 13. & 14. ff. de V. S. vide etiam Didac. Couar. ad d. Clem. si furiosus. in initio. Relect. 2. Vvesemb. in paratit. ff. ad l. Corn. de sicar. num. 9.

V.

Nulla autem hîc differentia habetur, cuius conditionis hominem quis interemerit, marem vel fœminam, liberum vel seruum, no-
R r 2 bilem



2 **DISPUTATIO DE OMNI HOMICIDIO**

bilem vel plebeium. (a) Quin etiam animatum foetum in utero materno qui necat, homicida est. (b)

a) *d.l.1. §. & qui ff. ad l. Corn. de sicar.* (b) *l. si quis aliquid 38. §. qui abortionis & l. seq. ff. de poenis c. quod verò & c. seq. 32. quest. 2. & c. si quis. Extra de Homicidio. Sed vide l. si mulierem 8. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 4. ff. de extraord. crim. Vide etiam Didac. Couar. ad Clement. si furiosus tit. de Homicid. Relect. 2. §. 3. n. 1. & libr. 2. variar. resolut. c. 20. n. 10. Peinliche Halsgerichtsordnung / Kaiser Carls des V. articulo 131. & 133.*

VI.

Qui item sibi ipsi, malâ conscientia, mortem consciuit, homicidam dicimus, (a) cum nemo suorum membrorum (b) sit dominus.

a) *l. liberorum 11. §. non solent. ff. de his qui not. infam. l. 3. ff. de bon. eor. qui ante sentent. mort. sibi consciuer. l. 1. & 2. C. d. t.* (b) *l. liber homo 13. in princ. ff. ad l. Aquil. Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Carls des V. artic. 135.*

VII.

Cæterum species criminosi homicidij sunt: Homicidium, ita specialiter dictum, Veneficium, & Parricidium.

VIII.

HOMICIDIVM est, cum quis extraneum (a) aliquem, telo vel armis (b) occidit; quem iura sicarium appellant. (c)

a) *ad differentiam Parricidij l. vtrum 6. in fin. ff. de lege Pomp. de Parricid.* (b) *ad discrimen Veneficij.* (c) *t. t. ff. & C. ad l. Corn. de sicar.*

IX.

Huius inspectio duplex fit; vna de ipso Homicidio; Altera de homicidæ Pœna.

X.

Homicida alius propriè homicida est, alius pro homicida habetur.

l. 1. §. Diuus, ibi, pro homicida damnandum & l. nihil interest 15. ff. b. t. Sic adulter alius propriè est adulter, alius pro adultero habetur, siue quasi adulter est. l. auxilium 37. §. 1. ibi. quæ pro adulterio. ff. de minorib. & l. si quis adulterium. 33. §. vltim. ibi. quasi adultera ff. ad leg. Iul. de adulter.

XI.

Homicida propriè est, qui hominem verè occidit, (a) & quidem per se, non per alium. (b)

a) *d. l. 1. in princ. ibi. Qui hominem occiderit & §. Diuus vers. & qui hominem*

minem non occidit ff. ad leg. Cornel. de sicar. (b) d. l. nihil interest 15. ff. dict. tit.

XII.

Hic si mercede vel precibus ab aliquo conductus fuerit, ad eandem alicui inferendam, ex communi significatione Assassinus appellatur.

c. 1. §. cum igitur illi & §. sacri, tit. de homicid. in 6. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudicum, cent. 4. casu 360. num. 42. Lud. Carer. in pract. criminali pag. 137. & seqq. Damhoud. in pract. rer. crimin. cap. 83. num. 1. vide Didac. Couar. libr. 2. var. resol. cap. 20. num. 10. Clarum in §. Assassinum & Dd. quos refert Hippol. Bona Cossa in questionib. criminalib. in verbo: Assassinus, & Duar. lib. 2. disputat. c. 12. in fine.

XIII.

Pro homicida qui habetur, non vnus, sed triplicis est generis. PRIMVM genus complectitur eos, qui ipsi quidem, per se, aliquem occidere laborant, eorum tamen voluntas exitum non habet; vt qui hominis occidendi causa cum telo ambulant; (a) quiq; vulnerant aliquem, vt occidant eum. (b)

a) l. 1. in princ. ff. ad l. Cornel. de sicar. & l. is qui cum telo. 7. C. d. t. & §. item lex Cornelia. Inst. de publ. iudic. (b) d. l. 1. §. Diuus. ff. ad l. Cornel. de sicar.

XIII.

Sed quæstio est quotidiana, vtrum vulneratus, si ex interuallo mortuus sit, ex vulnere mortuus præsumatur, hoc est, vulnus illud lethale fuerit, necne? Communis autem Dd. conclusio est, quod hinc recurrendum sit ad iudicium Medicorum.

Per text. in c. significasti nobis, quod cum quidam. 18. §. & quidem. Ext. de homicid. & l. semel 6. C. de re milit. lib. 12. Andr. Gail. lib. 2. obseru. pract. obs. 111. num. 1. & seqq.

XV.

SECYNDVM genus eos continet, qui operam dant, vt quis alio modo, quàm à se directò occidatur; Vt sunt, qui mandant aliquem necari; (a) Item Magistratus, vel qui publico iudicio præest, si operam det, quò quis falsum Iudicium profiteatur, vt aliquis innocens conueniatur, & condemnetur; (b) aut idem in capitali causa pecuniam accipiat, vt quis publicâ lege reus fiat: (c) tum etiam qui falsum testimonium dicit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnetur: (d) Qui item falsa iudicia confitetur, confidendaue curat,

R r 3

quò

7 **DISPUTATIO DE OMNI HOMICIDIO.**

quò quis innocens circumueniatur: (e) Et qui sciens patitur familiam suam, apiscendæ, recipendæ possessionis causa, arma sumere. (f) quiq; seditiois autor est, vel naufragium suppressit, & qui liberos suos, maximè infantes, in locum solitarium abijciunt, vbi inediâ pereant, vel à bestijs consumantur; (g) Qui denique seruum suum sine iudice, ad bestias depugnandas vel dat vel vendit. (h)

a) *l. Nihil interest. 15. ff. ad l. Cornel. de sicar. vide Didac. Couar. ad Clement. si furiosus. tit. de Homicidio. Relect. 2. §. 1. num. 3.* (b) *d. l. 1. in princip. ff. dict. tit.* (c) *dict. l. 1. §. 1. ff. eodem tit.* (d) *d. l. 1. §. 1. ff. d. tit.* (e) *l. 3. §. item is. versic. & qui falsa iudicia. vbi glos. ff. h. t.* (f) *d. l. 3. §. item is. cuius familia. ff. eod. De autore seditiois, est quoque noua sanctio Caroli V. In der peinlichen Halsgerichts Ordnung. artic. 127.* (g) *Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Carls/ des V. artic. 132. l. necare. vbi Bartol. & alij. ff. de agnosc. & alend. liber. & l. 2. C. de infantib. exposit. & l. nihil interest 15. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* (h) *l. circumcidere 11. §. 1. & 2. ff. d. t.*

XVI.

TERTIVM genus comprehendit eos, qui libidinis vel pro-
merci causa, hominem castrant, qui spadones, aut Thlibias faci-
unt, (a) & qui Christianos circumcidunt. (b)

a) *d. l. 3. §. item is. versic. & qui hominem. l. 4. §. 1. & 2. l. 5. l. 6. ff. ad l. Cornel. de sicar.* (b) *l. circumcidere 11. in princ. ff. eod. tit.*

XVII.

Sequitur de **POENA HOMICIDARVM**, & eorum, qui
pro homicidis habentur. Homicidæ ex lege Cornelia de sicarijs,
& consuetudine post recepta, deportatione, & omnium bonorum
ademptione puniuntur, si honestiore loco positi sint: Humiliores
verò, ex moribus capite puniebantur; (a) iure autem Iustinia-
neo, (b) & ex Carolina sanctione, (c) gladio plectuntur, quæ
pœna consonat iuri diuino. (d)

a) *l. 3. §. penultim. & l. penult. ff. ad l. Cornel. de sicar.* (b) *§. Item lex Cornelia. Inst. de public. iudic. & l. si quis. 8. Cod. ad l. Cornel. de sicar.* (c) *Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Carls/ des V. artic. 137 & 148.* (d) *Matth. cap. 26. vers. 52. & Ioh. in Apocalypsi cap. 13. num. 10.*

Quòd

XVIII.

Quòd si in rixa percussus homo perierit, ictus unicuiusque in hoc collectorum contemplari oportet, (a) vt si appareat, cuius ictu perierit homo, is gladio puniatur. Sin à pluribus, de quibus certò constat, dolo mortiferè percussus, ictus, & vulneratus sit, nec liqueat, cuius manu & ictu verè sit occisus, tunc omnes illi, qui ita læserunt, tanquam homicidæ gladio puniuntur. (b)

a) l.vlt.ff.ad l. Cornel. de sicar. (b) Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 148. Geil. lib. 2. obs. 109. num. 10. Et Menochius lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 362. Vide Roland. à Valle cons. 63. num. 16. volumin. 2. & Petr. Aurelianens. Pract. libellorum c. 99. num. 29. Vvesemb. in paratit. ff. h. t. num. 19.

XIX.

Latrones verò eodem Carolino iure, rotâ tunduntur, (a) atque hoc supplicio vitâ orbat, iure quodammodo Iustiniano, moribus recepto, rotæ ipsi, & plerunque eodem loco, quo homicidia fecerunt, imponuntur, vt & conspectu deterreantur alij, ab iisdem facinoribus, & solatio ea res sit cognatis & affinibus interemptorum.

a) Peinliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 137. & 130. Chilianus König in sua pract. Rubr. von allerley leiblichen Straffen. cap. von Peen der Straffenrauber.

XX.

Et quia Assassini nihil aliud sunt, quàm latrones, idcirco eadem hac pœnâ eos affici debere existimamus.

Iuuat hanc sententiam nostram, quod aliqui ex interpretibus nostris volunt, Assasinos caudæ equi alligatos trahi debere: quodquæ alij scribunt, hos in frustra scindendos esse Iul. Clar. post alios in §. Assasinum num. 4.

XXI.

Quòd si quis primariam quandam personam, ein hohe fürtreffliche Personen, vel suum Dominum, cuius imperio, & Iurisdictioni sit subiectus, nefariè occiderit, prius ignitis forcipibus laceratur, aut in terram prostratus, ad locum supplicij supinus raptatur. Deindè vel gladio plectitur, vel si latro fuerit, rotâ eius membra tunduntur.

Peinliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 137. & 130.

Qui

DISPUTATIO DE OMNI HOMICIDIO,

XXII.

Qui ipsi mortem sibi consciuerunt, malâ conscientia ducti, è domo, in qua sibi manus intulerunt, per fenestram, aut tectum foras eijciuntur, aut sub limine domus extrahuntur, & trahæ impositi; ad locum supplicij exportantur, ibique per carnificem vel comburantur vel suspenduntur furca, vel, quod vsitatus est, sepeliuntur, (a) & lugeri non solent, (b) & si in reatu mortem sibi consciuerint, bona eorum, magistratui eius loci vendicantur, modò eius criminis rei fuerunt, vt si damnarentur, morte, aut bonis suis priuandi fuissent. (c)

a) *Damboud. in praxi rer. criminal. cap. 88. num. 1. & 9. & Iohan. Schneid. ad §. Iuris præcepta. num. 6. vbi Vvesemb. in addit. Inst. de Iustit. & iure. (b) l. liberorum 11. §. non solent. ff. de his qui not. infam. (c) Peinliche Halsgerichtsordnung artic. 135. l. vlt. §. 1. ff. de bonis eorum qui sibi mort. consciuer. l. 1. & l. 2. C. eod. tit.*

XXIII.

Quod attinet pœnam eorum, qui pro homicidis habentur, certè primi generis, iure Iustiniano, eadem afficiuntur pœnâ, quâ ipsi homicidæ.

d. §. Item lex Cornelia. Inst. de public. iudic. l. 1. in princ. vers. qui ué hominis occidendi. & §. Diuus. & l. Diuus 14. ff. ad l. Cornel. de sicar. Menoch. libr. 2. de arbit. iudic. cent. 4. casu 360. num. 36. Andr. Geil. dict. libr. 2. obseru. præct. obs. 109. n. 12.

XXIV.

De consuetudine (a) verò & iure Carolino (b) qui attentauit homicidium, nec tamen perfecit, non ordinariâ sed arbitrariâ punitur pœnâ, nisi proditoriè hominem occidere conatus fuerit. (c)

a) *Tiraquellus post alios, tract. de pœnis temperandis causa 38. num. 1. & seqq. & causa 40. (b) Peinliche Halsgerichtsordnung artic. 178. (c) Duaren. ad tu. ff. ad l. Cornel. de sicar. cap. 2. vers. Tertio u qui cum telo. & Vvesembec. in paratit. ff. ad l. Cornel. de sicar. n. 16. per c. 1. extra de homicidio. in sexto, Didac. Couar. ad Clement. si furiosus tit. de homicidio. in initio relect. secunda num. 10.*

XXV.

Hinc etiam qui mortem sibi, ex quadam anxia desperatione, aut metu pœnæ futuræ, consciscere voluit, sed impeditus, per alium putâ, à proposito destitit, licet capite puniti deberet; attamen ex consuetudine, arbitrariâ in eum pœnâ conuertitur.

Dambou-

Damhouder. in praxi rer. criminal. cao. 88. num. 13. & Vvesemb, ad Schneidenvuin. §. iuris praecepta. num. 6. Inst. de iust. & iu.

XXVI.

Similiter secundi generis Prohomicidæ, eandem capitis pœnam, quam ipsi homicidæ pendunt, sustinere iubentur, si eius quem necari volebant, mors inde secuta est.

Per textus thesi. 15. adscriptos. De mandante homicidium, vide Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 352. & duob. seqq.

XXVII.

Quòd si per Assasinum quis interfici quempiam Christianum fecerit, vel mandauerit, tanquam Christianæ religionis æmulus, à toto etiam Christiano populo diffidatus est ipso facto, etsi mors Christiani illius secuta non fuerit.

d. c. 1. §. cum igitur. & §. sacri. tit. de homicidio. in 6. De Assasinis, laxiori stylo differentes. Vide Dd. quorum meminimus ad thesin. 12. Vide quoque D. Vultei-um ad §. item lex Cornelia. Inst. de public. iudic.

XXVIII.

Seditionis quoque autores, qui similiter secundi ordinis sunt, inter Prohomicidas, Iure Iustiniano, si honestiores sunt, ex lege Cornelia de sicarijs, in insulam deportantur; si humiles fuerint, in furcam tolluntur, aut bestijs obijciuntur. (a) Iure autem Carolino, pro huius delicti qualitate & condicione, vel gladio feriuntur, vel virgis publicè cæduntur, & de loco, vbi seditionem mouerunt, relegantur. (b)

a) *l. si quis aliquid. 38. §. autores ff. de pœnis l. 3. §. item is. vers. Item qui autor seditionis. iuncto. §. seq. ff. ad l. Cornel. de sicar. Iul. Paul. lib. 5. sententiar. tit. 22. De seditiosis, in princ. Vbi Cuiac. Et secundum prædicta loca intelligenda sunt. l. 1. & 2. C. de seditiosis. Puniuntur item seditionis autores, pœnâ legis Iulie maiestatis l. 1. §. 1. vers. quoué catus conuentus iur. fiat. ff. de lege Iul. maiest. Item pœnâ. l. Iul. de vi pub. l. 3. in princ. ff. ad l. Iul. de vi Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 4. casu 394. n. 78. (b) *Peinliche Halsgerichts Ordnung Kaiser Karls des V. Articulo 127.**

XXIX.

Quod attinet eos qui liberos suos abijciunt, corporali supplicio afficiuntur, si exposita proles, inde perierit; & quidem supplicio mortis, si in locum solitarium, vt ibi inedia periret, vel à bestijs absumeretur, exposita fuerit; Alioqui aliam corporalem pendunt pœnam. Quòd si ab alijs inueniatur ea proles viua, atq; ita saluetur, arbitrariâ plectitur pœnâ parens.

Ss

Pein-

8 **DISPUTATIO DE OMNI HOMICIDIO**

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 132. Vide etiam Vvesemb. in paratit. ff. ad. l. Cornel. de sicar.

XXX.

Tertij generis Prohomicidæ, ex lege Corneliâ de sicarijs, deportatione afficiuntur. (a) Sed D. Hadriani sanctione, capite plectuntur, qui virilitatem invito alicui adimunt, & qui eam sibi sponte adimi patiatur. (b) At iure Nouellarum illi, qui personam aliquam castrare præsumunt, hoc idem quod alij faciunt, & ipsi coguntur pati; qui si indè incolumes euaserint, in exilium mittuntur perpetuum, & bonis suis priuantur. (c)

a) *Per textus sup. thesi 16. adscriptos. (b) l. 4. in fin. ff. ad l. Cornel. de sicar. (c) Nou. 142. cap. 2. Vide etiam Nouell. Leonis 60.*

XXXI.

Non est hoc loco omittendum, quòd pœna homicidij ordinaria, eo casu, quo de iure infligi deberet, quandoque in extraordinariam commutari potest, puta ob benèmerita delinquentis, si de Principe vel Repub. sit benèmeritus, aut excellens artifex, cuius opera, & industria Principi & Reip. utilis & commodo esse possit.

Per text. in l. ad bestias. 31. ff. de pœnis. Andr. Geil. post alios, quos refert & sequitur. libr. 2. obseru. pract. obs. 110. num. 39.

XXXII.

Sed an idem etiam de nobili, ob solam eius nobilitatem, intelligendum sit, quæritur? Et quia homicidij pœna certa à iure definita est, æqualiter nobilem & ignobilem eâ teneri sentimus, nisi iudex ex magnâ & iustâ causâ mitiùs coërcendum nobilem censuerit.

Per l. 3. §. pen. ibi. nisi honestiore loco positi fuerint, ut pœnam legis sustineant. & l. pen. ibi. in honore aliquo positi deportari solent. ff. ad. l. Cornel. de sicar. & tradit. post alios Tiraquellus in tract. de pœnis temperand. causa. 31. num. 34. & 35.

XXXIII.

Et licèt homicida minor viginti quinque annis, reus legis Corneliæ de sicarijs fieri possit: (a) interdum tamen miseratio ætatis, in persona eius ad mediocrem pœnam Iudicem producit. (b)

a) *l. is qui reum. 6. C. ad l. Cornel. de sicarijs. (b) l. auxilium. 37. §. 1. vers. in delictis. Vbi Dd. ff. de minorib. & l. ferè in omnib. 108. Vbi Dd. ff. de Reg. iur. Peinliche Halsgerichtsordnung / Kaiser Carls des. V. artic. 179. Vvesemb. in paratit. ff. de sicar. num. 26.*

Sed

XXXIV.

Sed & in eum, qui uxorem, deprehensam in adulterio occidit, Diuus Pius leuiorem pœnam irrogandam esse rescripsit, & humiliore loco positum, in exilium perpetuum dari iussit; in aliqua dignitate positum, ad tempus relegari.

d.l.1. §. vlt. ff. ad l. Cornel. de sicar.

XXXV.

SUCCEDIT VENEFICIUM. Est autem Veneficium, cùm quis in perniciem hominis, vsum mali veneni habet, quem maleficum iura appellant; vt si necandi hominis causa, eiusmodi venenum vel det, vel faciat, vel vendat, vel habeat.

d.l.1. §. 1. l. 3. in princ. & §. 1. & §. 2 ff. ad l. Cornel. de sicar.

XXXVI.

Huius quoque generis sunt, qui mala medicamenta, in necem hominis vsurpant; (a) & pigmentarij, si cui temerè cicutam, salamandram, aconitum, pityocampas, buprestim, mandragoram, vel cantharidas dederit. (b)

a) *§. item lex Corn. vers. ead l. Inst. de pub. iud.* (b) *d.l.3. §. alio Senatusconsulto. ff. d. t.*

XXXVII.

Veneficis annumeramus etiam eos, qui mala sacrificia faciunt, habent, (a) & qui magicis & odiosis artibus & susurris in perniciem & necem hominis vtuntur. (b)

a) *Lex Senatusconsulto. 13 ff. eod. hoc t. Iul. Paul. libr. 5. sentent. t. 23. §. Quia sacra impia. & §. seq.* (b) *§. itē lex Corn. Inst. de pub. iud. & t. 1. C. de malefic. Iul. Paul. d. t. §. magica artis. & ibi Cuiac.*

XXXIIX.

Huc & illos referimus, qui grauidæ mulieri abortionis cibum vel poculum præbent, vel marem vel fœminam sterilem efficiunt.

l. si quis. 38. §. qui abortionis. ff. de pœn. Peinliche Halsgerichtsordnüg. art. 133.

XXXIX.

Pœna veneficorum, alia est eorum, qui magicis artibus hominibus obfuerunt, die durch Zauberer den Leuten / Schaden oder Nachtheil zufügen; alia eorum; qui sine artibus illis, veneno, hominis vitæ aut corpori nocuerunt. Illis enim supplicio ignis vita eripitur. (a) hi verò gladio truncantur, si mares sint; fœminæ aut suffocantur aqua, vel alio modo, pro conditione, vitâ priuantur; Et si primariâ quandam personam, vel magistratum suum veneno interfecerint, ante prædictum

Ss. 2

mortis

10 **DISPUTATIO DE OMNI HOMICIDIO,**

mortis supplicium, in terrorem aliorum, vel ignitis forcipibus lacerantur, vel in solum abiecti, & trahæ alligati, ad supplicij locum raptantur. (b) Nec iniuriâ, illo gladij vel aquæ supplicio hi venefici afficiuntur, cum plus sit hominem extinguere veneno, quam occidere gladio. (c)

a) *Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Carls des V. artic. 109. Hos olim ex constitutione Constantij Imperat. serialis pestis absumebat. l. multi 6. C. de maleficis & mathematic. (b) Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 130. Antiquitus verò legis Corneliae poenâ coërcebantur. l. 1. in princ. & §. 3. ff. ad l. Cornel. de sicar. (c) l. 1. C. de maleficis & mathematicis.*

XL.

Qui autem magicis artibus usus fuit, nemini verò nocuit, pro conditione causæ aliter punitur (a) gladio, scilicet, vltore, ex ciuili sanctione, (b) vel Iure Canonico, aliâ quadam arbitrariâ poenâ. (c)

a) *Peinliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 109. (b) per textum in l. nempe 5. & l. vltim. C. de malefic. & mathematic. (c) per fundamenta adscripta thesi. 36. disputationis. 10.*

XLI.

Animatum foetum mulieris grauidæ dolo qui abigit, vel matrem aut foeminam sterilem efficit, si mas sit, qui hoc facinus admisit, gladio punitur; si foemina siue proprijs, siue alienis visceribus hanc vim intulerit, aquâ suffocatur, vel alio modo exanimatur.

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 133. Facit l. si quis. 38. §. qui abortionis. ff. de poenis. l. si mulierem. 8. ff. ad l. Cornel. de sicar. & l. 4. ff. de extraord. criminibus.

XLII.

Quòd si foetus abactus, nondum fuerit animatus, arbitrariæ poenæ locus erit, secundum iudicium Iurisperitorum.

Peinliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 133. vers. So aber. Vide. c. quod verò & c. seq. 32. quest. 2.

XLIII.

Et licet quis non malo animo, ad conceptionem, medicamentum mulieri dederit: attamen, quia mali exempli res est, si mulier inde

inde perierit, delinquens, ex Senatusconsulto, relegari iubetur.

(a) Sic etiam qui abortionis, aut amatorium poculum dat, quamvis dolo non faciat, quia tamen malo id exemplo fecit, Iure Iustiniano, humilior in metallum damnatur, honestior in insulam, amissa parte bonorum, relegatur. Quod si ex eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficitur. (b)

a) l. 3. §. 2. ff. ad l. Cornel. de sicar. (b) d. l. si quis. §. qui abortionis. ff. de peenis. Damnationi in metallum hodie successisse dicitur damnatio ad triremes.

XLIII.

Similiter sicuti Medico imputari euentus mortalitatis non debet: ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. (a) Vnde si ex eo medicamine, quod ad salutem hominis ægri, vel ad remedium, non malo animo, datum erat, homo ille perierit, medicus, qui dedit, ex consilio Iurisperitorum pro causæ conditione & qualitate, arbitriâ plectitur pœnâ; qua in re & casu, in primis iudicium probatorum medicorum adhiberi debet, atque etiam spectari temeritas hominis, qui medicinam facere audet, eius tamen artis ne fundamenta quidem iecit. (b)

a) l. illicitas. §. sicuti. ff. de offic. Præsidis. (b) *Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Karls des V. Vbi Imperator ita cauit: Item / so ein Arzt auß Unseiß / oder vngunst / vnnnd doch vnfürsichtlich / jemandt mit seiner Arzney tödtet / erfindet sich dann durch die gelehrten vnnnd verständigen der Arzney / das er die Arzney leichtfertiglich vnnnd verwegentlich mißbraucht / oder sich vngegründter vnzulässiger Arzney / die ihme nicht geziemet hat / vnderstanden / vnnnd darmit einem zum Tod Ursach geben / der soll nach Gestalt vnnnd Gelegenheit der Sachen / vnnnd nach Rath der Verständigen / gestrafft werden / vnnnd in disem Fall allermåist Achtung gehabt werden / auff leichtfertige Leut / die sich Arzney vnderstehen / vnnnd den mit keinem Grund gelehret haben. Antiquitatis autem hic medicus, ob eiusmodi factum, si honestior erat, in insulam deportabatur: humilior vero capite puniebatur. Iul. Paul. libr. 5. sent. tit. 23. ad l. Cornel. de sicar. & veneficis. §. vlt.*

XLV.

Nunc de PARRICIDIO dicemus. Parricidium est cædes parentis, vel liberorum, tum etiam agnatorum, item affinium, patrono-

tronorum & coniugis: Ut si quis patrem, matrem, auum, auiam, filium, filiam, nepotem, neptem, fratrem, sororem, patrualem, matrualem, patruum, auunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, & qui pari gradu sunt cognati; Vxorem, virum, sponsum, sponsam, generum, socerum, vitricum, nouercam, priuignum, priuignam, patronum, patronam, armis aut veneno occiderit ipse, aut necari curauerit.

l. 1. l. 3. & l. 4. ff. de l. Pompeia de Parricid. & §. alia deinde lex. Inst. de publ. iudic.

XLVI.

Pœna parricidæ, alia est eius, qui sui parentis, cuiuscunque ordinis, vel alicuius ex liberis, fata properauit; alia huius, qui quempiam alium ex prædictis interemit, aut interfici curauit. Illius pœna, Iure Iustiniano, hæc est: Virgis sanguineis verberatus insuitur culeo, cum cane & gallo gallinaceo, vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proijcitur, vt omni elementorum usu, viuus carere incipiat, & ei cœlum superstiri, & terra mortuo auferatur; (a) Huius verò pœna, eodem Iustiniano iure, eadem est, quæ alterius homicidæ, (b) puta gladij pœna. (c)

a) *l. vn. Cod. de his, qui parentes vel liberos occider. l. penult. in princ. ff. de lege Pomp. de Parricidijs. & §. alia deinde lex Inst. de publ. iudic.* (b) *d. l. 1. ibi, Vt pœna ea teneatur, est legis Cornel. de sicarijs. iunct. d. l. pen. §. Qui alias personas. ff. de lege Pomp. de parricid.* (c) *§. item lex Cornelia Inst. de public. iudic. Peinliche Halsgerichtsordnung/ Keiser Carls des. V. artic. 137. & 148.*

XLVII.

Sed Iure Carolino mater, quæ aliquem ex liberis suis viuum & membris perfectum, dolo malo trucidauit, viua, cuneo eius pectori incusso, sepelitur. Interdum tamen, ad euitandam eius desperationem aquâ suffocatur. Ob frequentiam verò huius nefandi criminis, in terrorem aliarum personarum, prior pœna retinetur, vel antequam ipsa mulier in aquam immergatur, ignitis forcipibus laceratur. Semper tamen adhibendum hic erit Iuris peritorum consilium.

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 137.

Eodem

XLVIII.

Eodem iure qui uxorem suam, aut suum maritum, vel sanguine iunctum, nefarie exanimasse probatur, ignitis forcibus laceratus, aut ignominiosè prostratus, ad supplicij locum raptatus, vel rota tunditur, si latro sit, vel capite truncatur, si alius homicida fuerit, (a) & vterque ita punitus, de consuetudine rotæ imponi solet, vt eius conspectu, alij ab eodem facinore deterreantur. (b)

a) *Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 137. vers. Vnd mag man im fürgesagten Mord.* (b) *Damhouder. in pract. rer. criminal. cap. 87. num. 3. Iul. Clar. libr. 5. sentent. S. parricidium. n. 5.*

XLIX.

Est & illud hoc loco notandum, quòd etiam conscij huius criminis, parricidij scilicet, pœnâ parricidij afficiuntur, etiam si extranei sint. (a) Vnde & creditor, qui sciens, ad hoc scelus perpetrandum pecuniam administrauit, eadem pœnâ tenetur. (b)

a) *l. verum. 6. ff. de lege Pomp. de parricid. Sed vide Vvesemb. ad. S. alia de inde lex num. 4. Inst. de public. iudic.* (b) *l. si sciente. 7. ff. de lege Pomp. de Parricid. Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 177.*

L.

Haftenus de criminoso homicidio; Nunc de eo, quod crimine vacat, dicemus. Vacat crimine homicidium, vel ratione illius, qui id admisit, vel eius ratione, in cuius persona id commissum est.

LI.

Ratione illius, qui commisit homicidium, crimine illud vacat, si is vel doli capax non sit, vt est furiosus, dormiens, infans, & quandoque alius impubes, infante maior; Vel doli quidem capax sit, vt, absque dolo præsupposito, aliquem occiderit.

LII.

Furiosus, dormiens, vel infans, si hominem occiderit, pœnâ non tenetur; Cùm furiosum, cui dormiens similis est, fati infelicitas, infantem verò innocentia consilij excusat.

De furioso & infante est textus in. l. infans. 12. ff. ad l. Cornel. de sicar. l. illud relatum. 3. ff. de iniur. & c. illud. 15. quest. 1. Peinliche Halsgerichtsordnung. articul. 179. De dormiente, furioso & infante est textus in Clement. vn. tit. de homicid. & scribit de eo Tiraquellus, in tract. de pœnis temper. caus. 5.

Impubes

LIII.

Impubes, infante maior, homicida, impunitatem hæcenus habet, si infantia proximus sit; si proximus fuerit pubertati, cum in ea sit ætate doli capax, (a) afficitur quidem pœnâ aliqua (b) sed mitiori. (c)

a) *l. pupillum, 111. ff. de Reg. Iur.* (b) *l. impunitas. 7. Cod. de pœnis. l. excipiuntur 14. ff. de Senatusconsulto Silan. l. si arrogati 14. in princip. ff. de tutel. l. impuberem. 23. ff. de furt. Tiraquell. tract. de pœnis temper. c. 44. num. 44.* (c) *l. 1. §. impubes. & §. seq. ff. de Senatusconsulto Silan. l. ferè in omnib. 108. ff. de Reg. Iur. c. 1. & c. 2. Ex. de delictis puer. Tiraquell. in dict. tract. de pœnis temper. causa. 7. Weintliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 179.*

LIV.

Qui doli capax, absque tamen doloso proposito, aliquem inreremit, vel Culpa id fecit, vel Casu.

LV.

Culpa illa, vel directa fuit in eum, qui occisus dicitur; vel non fuit in eum directa.

LVI.

Prioris generis culpa est, si quis per lasciuam, siue petulantiam aliquem occiderit; (a) Vel si maritus vxorem suam, in adulterio deprehensam interfecerit; (b) vel si quis per ebrietatem quempiam necuerit; (c) Ob cuiusmodi culpam homicida quidè corporaliter punitur, at non ordinariâ homicidij pœna, sed quadam mitiori; Veluti relegatione ad tempus, si in aliqua positus sit dignitate; alioqui, si humilis fuerit persona, in exilium, vel opus perpetuum damnatur. (d)

a) *l. 4. §. 1. ff. ad l. Cornel. de sicar. iuncta. l. si fortuitò. 11. ff. de incend. ruin. naufrag.* (b) *l. 1. §. vlt. ff. dict. t. & l. si adulterium. 38. §. Imperator Marcus ff. ad l. Iul. de adulter.* (c) *l. perspicendum. 11. §. penultim. ff. de pœnis. & l. omne. 6. §. quid si vulnerauit. Vers. per vicum. de re milit.* (d) *Per text. ad lit. A. & B. appositos. De eo qui per ebrietatem commisit homicidium, vide Tiraquellum de pœnis temperand. caus. 6. & Andr. Geil. lib. 2. præct. obseruat. obseru. 110.*

LVII.

Posterioris generis culpa est, si quis alto se præcipitet, & super alium veniens, eum occidet; si item putator, non præclamans, ex arbore,

borerantum, in locum, vbi vulgò iter fit, deiciat, atque ita prætereuntem occidat. (a) Et si cum famosum, latronem, aut bannitum occidere vellem, in proximo te stantem inuitus percusserim, & interfecerim. (b) Tum etiam si defendendi mei causa lapidem in aduersarium misero, at non eum, sed prætereuntem percusserim & interemerim. (c) Quibus & similibus casibus, homicida ex culpa illa sua, latâ vel leui, non criminaliter, sed ciuilitèr tenetur. (d)

a) *l. in lege Cornelia. 7. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* (b) *per l. 4. ff. de iniur.* (c) *l. scientiam. 45. §. penultim. vers. sed si defendendi. ff. ad leg. Aquil.* (d) *l. si putator. 31. & dict. l. scientiam. 45. §. penultim. vers. sed si defendendi. ff. dict. tit. & §. Item si putator. Inst. eod. tit. At Dd. volunt, his etiam casibus, homicidam criminaliter puniri. Vide Tiraquell. tract. de pœn. temperand. causa 14. & causa. 44. num. 33.*

LIIX.

Casu hominem occidisse dicitur, proindeque impunitatem habet, (a) qui in ludo iaculatorio, cum esset ex ijs, quibus iaculandi ius erat, sagitta vel sphaerula, ad scopum iaculando, casu prætereuntem traiecerit; (b) Qui item putator ex arbore ramum, aut machinarius in locum priuatum, vbi vulgò iter non fit, vel in eum quidem locum, vbi vulgò iter fit, sed proclamatione ipsius facta, aliquid deiecerit, & ita prætereuntem occiderit. (c)

a) *l. eum qui. 5. C. ad leg. Cornel. de sicar.* (b) *l. item si. 9. §. vltim. ff. ad leg. Aquil. & §. iniuria autem. vers. Item si quis dum iaculis. Inst. d. t.* (c) *l. si putator. 31. ff. d. t. & §. Item si putator. & §. seq. Inst. eod. tit.*

LIX.

SEQUITUR de homicidio, quod crimine vacat, proindeque impunitatem assequitur, ratione hominis, qui occisus dicitur. Huiusmodi homicidium commisit, qui necem attulit famoso latroni, vel militiae desertori, (a) vel transfugæ non redeunti, (b) vel publico hosti, (c) vel ob fractam pacem publicam bannito. (d) Item pater, qui adulterum cum filia sua, quam in potestate habet, in ipso adulterio, in proprijs vel generi ædibus deprehensum occidit; (e) tum etiam maritus, qui vilis conditionis adulterum, domi suæ, cum vxore inuentum, interemit; (f) Vt & qui furem noctu deprehensum, deductus per eum in periculum, T t occidit;

16 **DISPUTATIO DE OMNI HOMICIDIO,**

occidit; (g) Vel occidit furem interdium deprehensum, & telo se defendentem, (h) modò id ipsum, utroque casu, cum clamore sit testificatus. (i)

a) l. 1. & leg. 2. Cod. Quando licet unicuique sine iudice se vindic. leg. 4. l. 5. Cod. ad leg. Cornel. de sicarijs. cap. cum homo. 23. questione 5. (b) leg. 3. §. ultim. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs. l. minimè 35. ff. de religios. & sumpt. funerum. (c) dict. l. 3. §. ultim. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs. dict. cap. cum homo 23. questione. 5. Iodocus Dambouder. in praxi rerum criminal. cap. 83. (d) Ordinat. Camera Imperial. parte 2. tit. 9. §. 2. Vide Andr. Geil libr. 2. de pace publ. cap. 1. numer. 20. & cap. 6. (e) l. Grachus. 4. Cod. ad leg. Iul. de adulter. leg. patri 20. l. nec in eo. 22. §. ius occidendi. 2. leg. quod ait lex. in princ. & §. quare non ubicunque 2. & §. quod ait lex. ff. dict. tit. (f) l. marito. 24. in principio. ff. eodem tit. (g) l. furem nocturnum. 9. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs. l. 4. §. 1. ff. ad leg. Aquil. c. si perfodiens. Extra de homicidio. Vide Cuiac. libr. 14. obseru. cap. 15. & libr. 11. cap. 27. (h) l. si pignore. 54. §. furem interdium. ff. de furtis. dict. l. 4. §. 1. & l. 5. in princip. ff. ad leg. Aquil. (i) dict. l. 4. in fine. ff. d. t.

L X.

Admisisse item huiusmodi dicemus homicidium, qui causa defendendi res suas, earum raptorem, vel inuasorem, interemit, si aliter eas res tueri non potuit.

l. 3. §. cum igitur. l. qui possessionem, 17. ff. de vi & vi armata. l. sed & partus. §. 1. vbi Cuiac. ff. Quod metus causa. Ordinat. Camera Imperial. part. 2. tit. 9 §. 1.

L X I.

Multò magis igitur & ille, qui corporis sui tuendi causa, violentum aggressorem occidit, huius generis homicida dicendus erit, modò se aliter tueri non potuit.

l. 1. l. 2. & l. 3. Cod. ad leg. Cornel. de sicarijs. l. vt vim. 3 ff. de iustit. d. l. 4. l. 5. in principio. l. scientiam. 45 §. Qui cum aliter l. si ex plagis. 52. §. 1. ff. ad leg. Aquil. Clement. vnica. in fin. tit. de homicidio. Peinliche Halsgerichts Ordnung artic. 139. & seqq.

Similiter

LXII.

Similiter is, qui stuprum sibi, vel suis, per vim inferentem occidit, dimittendus erit.

l. 1. §. pen. ff. ad l. Cornel. de sicar.

LXIII.

Vt & ille, qui publico certamine instituto, in colluctatione, in pancratio, in pugillatu, aduersarium, non cedentem, interfecit.

l. Qui occidit. 30. in principio. ff. ad leg. Aquil. facit. c. lator. Extra de homicidio. Menoch. libr. 2. de arbitr. Iudic. cent. 4. casu. 400.

LXIV.

RELIQVVM est, vt de incendio doloso videamus. Dolosum incendium est, quod quis datâ operâ, ob inimicitiam, vel prædæ causâ excitat, (a) quem iura nostra incendiarium appellant. (b)

a) *l. 1. in principio. & l. si quis dolo. 10. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs. & l. data opera. 11. Cod. de his qui accusare possunt. l. capitalium. 28. §. incendiarij. ff. de pœnis.*
 (b) *dict. l. 28. §. incendiarij. ff. d. tit.*

LXV.

Incendiarij autem, qui intra oppidum ædes exusserunt, si aliquo in gradu fuerint, capite puniuntur, aut certè in insulam deportantur; (a) Humiliores verò, vincti, verberati, necari igne iubentur, (b) etiam Carolinâ sanctione. (c) Olim quandoque bestijs obijciebantur. (d)

a) *dict. l. Si quis dolo. 10. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs. & leg. vltim. §. 1. ff. de incend. ruin. naufrag. Dambouder. in praxi rerum criminal. cap. 103. Vide Menoch. de arbitr. iudic. libr. 2. cent. 4. casu. 390. numer. 31.* (b) *l. qui ædes 9. ff. dict. tit. dict. l. capitalium. 28. §. incendiarij. ff. de pœnis.* (c) *Weinliche Halsgerichtsordnung. articul. 125.* (d) *dict. l. vltim. ff. de incendio, ruina, naufrag.*

LXVI.

Qui verò extra urbem, casam aut villam exusserunt, aliquantò leniùs coercentur.

dict. l. capitalium. 28. §. incendium. Vers. Qui verò. ff. de pœnis.

T t 2

Is verò

DISP. DE DOLOSO INCENDIO.

LXVII.

Is verò, cuius negligentia factum est incendium, damnum re-
sarcire tenetur; ad quod si minus idoneus sit, leuius castigatur: si
fortuito factum sit incendium, venia indiget.

*l. qui ades. 9. l. si fortuito. 11. ff. de incend. ruin. naufrag. & dict. l. capitalium.
28. §. incendiarij. vers. Nam fortuito. ff. de poenis. Qui damnum incendiij sarcire
tenentur, incensarum adium actione conueniuntur. l. Iuris gentium. 7. §. si paci-
scar. 13. ff. de pact. Cuiac. ad Iul. Paul. libr. 5. tit. 3. in fin.*

FINIS DISPVTATIONIS

DECIMÆ QUARTÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Blind. 3/1.





Disputatio XIV.

DE OMNI HOMICIDIO, ET
dolofo incendio.

Q V A M,

D. T. E. U. F.

P R A E S I D E,

CLARISSIMO,

ET CONSULTISSIMO VIRO,

DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*eminentissimo, & in illustri Academia Tubingensi Professore
celeberrimo, Domino Praeceptore suo
honorando.*

ORDINARI EXERCITII GRATIA,

tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate de-
fendere conabitur

LUDOVICVS VALENTINVS

à Milen.



TUBINGA,
Typis Georgij Gruppenbachij,

M. D. XCVIII.

Rr

